



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Amandvs Ep. 6. Februarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

FEB. *Vite Sanctorum.* 87  
rosas non flaccidas , miratur poma non  
marcida, miratur certantem cum mu-  
nere suo muneris bajulum, & jam non  
contentus vidisse horti munera, ad ip-  
pos hortos Christianus per omnia tor-  
menta penetrare contendit , quæ qui-  
dem ille , ut spinas generosè calcavit,  
dum animo volveret, quales rosas quæ-  
reret. *Ex Sario.*

S. A M A N D V S E P. 6. Februarii.

**Q**uid juventus , quid ætas virilis fa-  
cis ? Mundum & cum mundo pa-  
trem **A M A N D V S** puer vicit, & cum  
Religioso negaturum se ille hæredita-  
tem minaretur, amplam sibi hæredita-  
tem suppetere in cælo respondit; cave-  
ret ipse parens , ne hâc excideret. Ro-  
mam deinde ad D. Petri supplex ivit.  
Hunc ibi in somnis vidit , & auctorem  
habuit Gallia repetendæ. Sed & in pup-  
pi eundē tempestate jactans patronum  
conspexit. Iam Traiectensi insulâ con-  
decoratus cùm reo, cui laqueo gula frâ-  
genda erat, servare precando apud im-  
mitē judicē non posset vitam , ablatam  
certè precando apud Deum restituere  
potuit. Regis Dagoberti filiū (Sigeber-  
tus fuit) cùm fonti Iustrico admoveret,  
preibusqne Divi nemo verbū solemne  
*Amen* subjiceret , id ipse infans **XL**.  
tunc dies natus subjecit, unico vebo, &  
in **AMANDI**, & suas laudes facundus.

F 4

Non

Non nemo quod famam AMANDI lacerasset, carnificem dæmonem sensit, suisque manibus laceratus oppetiit. Alii qui morte Divo machinabantur, oculis amissis facinus sumus, & cum hoc, post preces illius, diē iterum viderunt. Fœminæ quoque lucem restituit, cùm primùm arborem illa aggressa est excindere, quam divinis antea honoribus (cœca utiq;) coluerat. Mortuum Adelgundis virgo in cælum vidi deduci ab obviâ candidatorum turbâ, audiitque eos hos esse, quos verbis vitæque exemplis prior ipse cælo transmisisset. Nimirum hæc denique generosa indeoles est, hi digni homine spiritus, nolle solum, sed cum comitatu, & clientelis cælum ingredi. Ex Milo. Monacho.

S. BRYNOLPHVS EPISC.

6. Februarii.

Natales BRYNOLPHVS domi nobiles foris amplius nobilitavit. Eutetiam Parisiorum profectus egit Musas inter ipsos duodeviginti annos, nec in vita Apolline. Siquidem hic doctrinam ejus Scarenſi infulâ coronavit. Tantum abest, ut generis splendori officiat Musarum commercium. Quin imò literatæ huic infulæ armatam coronam Rex Magnus Ladelos submisit, quando BRYNOLPHO ad genua supplex palam descendit, & mensæ adhibuit.

Sed